

bonum individuorum à bono ac felicitate societatis, cuius membra sunt, omnino pendeat, evidens est non posse cælibes Ecclesiæ ministros bonum societatis promovere, quin bonum promoveant singulorum individuorum.

Quod verò spectat ad intellectualem ac moralem institutionem nemo sanus negaverit longè aptiorem ad eam curandam ac perficiendam eum inveniri, qui totus in eâ esse possit, et qui ob excellentius sublimiusque vitæ genus quod proficitur auctoritatem et fiduciam sibi conciliare possit, quàm qui domesticis negotiis implicatus est, ac in nullâ re reliquis præstat super quos influxum exercere debet. Talis porrò est, tum rei ipsius naturâ inspectâ, tum etiam communi hominum iudicio, cælebs Ecclesiæ minister, qui sive erudiendæ in litteris juventuti, sive in eorum animis ad pietatem atque ad bonos mores informandis totum se reddere potest, qui præterea facilius in ipso- rum parentum voluntatem eam auctoritatem influere valet quam ipsi in cæteris despicerent. Ex his autem pendet civilis cultura et institutio, quæ eò magis crescit quò majorem influxum exercere potest sacer Ecclesiæ minister. Hæc autem religiosa, intellectualis ac moralis institutio ad bonas artes etiam se protendit, ad scientias, litteras, totamque ingenii civis vitam (1).

cælibat est de donner à la société des ministres uniquement occupés de leurs fonctions, et qui conservent les hommes, les uns en leur communiquant la force morale de vivre en paix avec leurs semblables, les autres en les empêchant par la force physique de troubler la paix. Ce sont des lois de conservation des familles, et la société se perpétue et s'accroît bien plus par la perpétuité des familles que par la fréquence du mariage. » *Annal. de philosoph. chrétien.*, tom. 1, p. 294. Quare vel ipse Montesquieu in op. *L'esprit des lois*, liv. 23, ch. 2, magnum hoc moralis ac politiciæ oraculum protulit, que la continence publique est naturellement jointe à la propagation de l'espèce.

(1) Satis est comparare inter se publica ædificia, templa præsertim, hospitia aliæque ejusmodi quæ à Catholicis excitata sunt, tum medio ævo, tum sequenti ætate ubique terrarum, necnon monumenta sculpturæ, architecturæ et picturæ cum ædificiis aliisque monumentis Protestantium, ut quisquis intelligat solam religionem catholicam pulchri ac magnifici idealem atque, ut ita dicam, cœlestem inspirationem ingerere. Facile quisque levi inspectione inter duo aut plura simulacra aut tabulas pictas discernere potest inter opus Catholicum, et opus Protestantis. Caret enim istius animus pietate, quam propterea nequit exprimere in operibus ingenii sui. Cf. Rubichon, op. cit. *De l'action du clergé*, etc., ch. 10, *Du Cælibat dans ses rapports avec la population*, pag. 287, seq. necnon egregia opera Cypriani Robert: *Essai d'une philosophie de l'art, ou introduction à l'étude des monuments chrétiens*, Paris, 1857, cum lectionibus quæ circa monumenta christiana in lucem ex eodem auctore prodierunt, et D. Rio: *De la Poésie chrétienne dans ses principes, dans sa matière et dans ses formes, unà cum analysi ac observationibus* cl. com. de Montalembert. Paris, 1857. Sic porrò auctor spectatur tanquam æstheticæ christianæ instaurator.

Anno elapso D. Welby Pugin, architectus Anglus, ex solâ comparatione monumentorum Catholicorum et Protestantium, primum stimulum habuit ad amplectendam religionem catholicam veluti divinam, prout ipsa fecit. Cf. ejus opus inscriptum: *Contrasts between the noble edifices of the 14. th and 15. th centuries and*

Beneficentiæ demùm atque charitatis instituta ortum et incrementum vel ex toto vel magnâ saltem ex parte à cælibe sacrorum ministrorum vitâ pendere ipsa patefecit rei de quâ agimus natura. Ipsi enim quibus orphanorum, senum, infirmorum ac miserorum turba demandata est, veluti omnium parentes ac refugium in societate spectantur eo præsertim nomine quòd ab omnibus domesticis ac publicis negotiis feriatu sint. Charitas quam in omnes suadet, imò præcipit christiana religio nullum invenit in ipsis impedimentum quo in cunctos se diffundat. Ipsâ suâ vivendi ratione cælibes ministri mediatores constituuntur inter divites et egenos, inter debiles ac potentes et corrogant undique media quibus indigentia subveniunt quæcumque possunt ope. Hæc de causâ et libenter opulenti eisdem subsidia tribuunt, et pauperes ad eos magnâ fiduciâ confugiunt. Hæc porrò in clericis conjugatis uxore ac frequenti sobole onustis, vix, aut ne vix quidem concipi possunt (1).

Ne quis verò suspicetur ea quæ paucis contraximus theoretica tantum esse, non autem practica, juverit factis et experimentis publicis hæc omnia confirmare.

Ac primò quidem ex publicis tabulis compertum est nusquam regna aut provincias civium multitudine et opibus floruisse, nisi ubi vixit cleri catholici cælibatus. Si Europa ad illud potentia atque opulentia culmen pervenit in quo eam suspicimus, totum id acceptum tam utili institutioni referre debemus. Nobis satis hic sit commemorare Italiam, Gallias, Belgium, Austriacum imperium, Helvetiam catholicam, Hiberniam, quæ si comparentur cum regionibus in quibus cælibatus à ministris proscribitur, patebit cæteris paribus, longè magis præ istis illas populi frequentia

similar buildings of the present day shewing the decay of taste. Lond., 1837; tum: *An apology for the contrasts, being a defence of the assertions advanced in that publication against the various attacks made upon it.* By Welby Pugin, Esq. author of the book in question. Lond., 1837.

(1) Apprimè comes de Maistre, in op. cit. *Du Pape*, liv. 5, ch. 3, § 2, hæc de clero catholico scripsit: « Cette puissance, encore plus merveilleuse, qui peut attendrir un cœur pétrifié et le rendre à la vie; qui va dans les palais arracher l'or à l'opulent insensible ou distrait pour le verser dans le sein de l'indigence; qui affronte tout, qui surmonte tout, dès qu'il s'agit de consoler une âme, d'en éclairer ou d'en sauver une autre; qui s'insinue doucement dans les consciences pour y saisir des secrets funestes, pour en arracher la racine des vices; organe et gardienne infatigable des unions saintes; ennemie non moins active de toute licence; douce sans faiblesse; effrayante avec amour; supplément inappréciable de la raison, de la probité, de l'honneur, de toutes les forces humaines au moment où elles se déclarent impuissantes; source précieuse et intarissable de réconciliation, de réparations, de restitutions, de repentirs efficaces, de tout ce que Dieu aime le plus après l'innocence; debout à côté du berceau de l'homme qu'elle bénit; debout encore au côté de son lit de mort, et lui disant, au milieu des exhortations les plus pathétiques et des plus tendres adieux... Partez! cette puissance surnaturelle ne se trouve pas hors de l'unité. »

abundare (1). Quod profectò repeti nequit nisi à cælibe cleri catholici vitâ, atque à vi religionis, quâ fit ut matrimonii jura ac leges sanctius custodiantur, firmentur familiae, conserventur, augeantur.

Quid de institutione juventutis intellectuali ac religiosa dicam, cui informandæ gratiæ scholæ à cælibe catholicorum clero ubique locorum apertæ sunt eo successu, ut nulla sit civium classis, quæ instructionem ad civilem culturam tantoperè necessariam summâ facilitate haurire nequeat? Si verò litteraria hæc institutio quæ adeò confert ad societatis felicitatem, comparetur cum scholis, ut vocant, *normalibus* ac *mutuis* quales à Protestantibus excogitatae sunt, illicò apparebit quàm immane inter utrasque intercedat discrimen. Ex illis enim quotidiè cives bene morati, optimi magistratus, utilissimi patres familiâs prodeunt; contra verò ex istis homines protervi, societatis perturbatores, increduli, seu flagella societatis ut plurimum emergunt. Diuturna experientia id apertissimè ostendit, ita ut ejusmodi scholæ magis ac magis dilabantur (2).

Demùm industriâ et ope cleri catholici ubique patere domicilia ad diversas miserorum classes colligendas, ac in dies nova crisi nostris quotidie oculis usurpamus. Quid verò non contulit et confert sollicita cælibis cleri charitas nosocomiis, orphanotrophiis, gerontotrophiis, mente captis, surdis ac mutis, ac reliquis miseris cujuscumque generis? Invidio quidem oculo hæc omnia hospitia ac domicilia charitatis aspiciunt Protestantes, at steriles ipsi sunt nec quidpiam unquam quod aliquâ ratione conferri possit cum institutionibus Catholicorum; licet verò maxime voluerint, et conatus omnes eò direxerint, nisi pertinem vix umbram in suis imitationibus protulerunt. Vix enim reperiuntur inter eos qui velint se devovere tot sacrificiis sine ullâ mercedis spe ad miserorum levamen, neque, etsi optarent, possent domesticis curis detenti ac præpediti (3).

(1) Cf. Rubichon, op. cit., ch. 10, *Du Cælibat dans ses rapports avec la population en France*, ubi non de solis Gallias, sed de aliis provinciis ac regnis tum absolute, tum relative spectatis, atque ex recentissimis censibus ostendit veritatem facti quod asserimus.

(2) Vixdum ortæ sunt ejusmodi scholæ normales ac mutuae, ut incaute eas admiratae haud paucae civitates catholice asciverint. Verùm fructus paulò post arborem prodiderunt, tanta enim incesserat juvenum animos arrogantia ac tumor, ut vix patrium imperium sustinere vellent; depravati præterea mores ut plurimum omnem ab eis pudorem excusserant; atque exinde factum est ut pedetentim ejusmodi scholæ evanuerint, ac locum cesserint institutoribus ecclesiasticis ac religiosis.

(3) Innumera penè sunt insana enarrata, quibus viri ac mulieres se devoverunt ac devoverunt solatio omnis classis miserorum, adeò ut totam vitam insumant in illis charitatis operibus, à quibus natura abhorret; cernere est nobiles puellas quæ delicate nutritæ in paternâ domo mundum ac vanitates excussæ sunt, omni humanæ spei nuntium remittentes se totas mancipare infirmorum ac egenorum molestiis et incommodis sublevandis, sæpè tempore luis ac contagiosi morbi imperterritas sese exhibere illorum

FERRONE. II.

Exinde factum est ut nonnisi languente ac deficiente fide, ac inter civiles motus exurgerent increduli, religionis ac societatis hostes teterrimi adversus Catholicorum cælibatum; hujus tamen generis homines ut plurimum à legitimo conjugio abhorrent, ut cælibatum libertinum consecentur. Verùm ex hoc nova ratio sese offert principibus ac veris politicis adeò salutarem institutionem ab istorum stultis declamationibus tuendi, utpote tot bonorum quæ in societatem proveniunt matrem fecundissimam et altricem tutissimam.

Constat igitur ex dictis clericorum continentiam quaquaversus spectetur quin adversetur societatis bono, illud potiùs mirificè promovere prout demonstrandum assumpsimus.

Difficultates.

I. Obj. 1° Cælibes viri innumeris propè civibus rempublicam defraudant (1). 2° Nulli præterea prosunt cælibatus molestia et incommoda; 3° pluribus verò prodesse possent clericorum conjugia, 4° quibus castiores et puriores fierent ipsorum mores, eorum liberi melius instituerentur, iterùm in terris vivere viderentur Zacharias et Elisabetha eorumque filii Præcursoris virtutes amularentur (2). 5° Institutio quæ si universalis fieret destrueret societatem non est perfectio, sed insanientis et aberrantis mentis effectus, talis porrò est continentia professio (3); 6° eam proinde Græci et Romani datis legibus proscripserunt, infamia notârunt cælibes eosque gravibus pœnis addidè-

curæ, nec aliam mercedem præter sacrificium propriæ vitæ sibi proponere. Sanè nec pauci religiosi aut sanctimoniales femine his institutis charitatis addictæ hilares vitam profuderunt. Plura utriusque sexus individuorum millia ubique gentium in Ecclesiâ catholice hoc heroicæ vitæ genus instituant, ac maria trajiciunt ut in Asiam, Africam et Americam apud barbaras et sylvestres nationes hujusmodi transferant beneficentiæ opera. Verè catholica religio charitate vivit et operatur. Contra verò apud acatholicos omnia frigescunt, ne dùm mulieres, sed ipsi ministri, ut vocant, sectarum, non solum nil ejusmodi moluntur, sed ad minimi periculi aspectum se retrahunt ac fugiunt, sub specie quòd nolint in proprias domus luem inferre, atque uxori ac filiis perniciem consciscere. Ita reposuerunt non ita pridem ministri Protestantæ in statibus federatis Americæ, cum lues indica regiones illas depopularetur, ita respondit anno elapso archiepiscopus Anglicanus Dublinensis exprobrationibus quas propterea sustinere cogebatur. Esto, verùm nonne ejusmodi excusationes meliorem conditionem esse cælibatus ecclesiastici ostendant? Optima præterea ratio est, quia quemadmodum extra unitatem vera fides, sic vera charitas non invenitur.

(1) Ita post Protestantæ auctor op. *Les inconvénients du cælibat des prêtres*, Genève 1781, et quod mirum est, medici illi libertini quos superius recensui hanc urgent difficultatem; unde patet an ex physiologia ac medicinae fontibus, an potiùs ex impietate illâ amplificent incommoda quæ urgent adversus continentia professionem.

(2) Sic auctor anonymus tract. *Della necessità ed utilità del matrimonio degli ecclesiastici*, an. 1770, sine loco edit., part. 1, p. 107, cui accessit Franck, op. cit. *Sistema completo di Polizia medica*, l. c., § 16.

(3) Ita Bretschneider. Cf. op.: *Henricus et Antonius, seu: De Proselytismo Ecclesiæ Romanæ et evangelicæ*. Vind., 1828.

(Dix-sept.)

re (1). 7^o Sanè dùm Protestantium provinciæ florent, squallent regiones Catholicorum in deserta commutatae, ita ut vix incolæ ad agros colendos ac mechanicas seu illiberales artes exercendas sufficiant (2); 8^o cujus quidem infrequentia alia causa assignari non potest præter ingentem cælibum ecclesiasticorum multitudinem. 9^o Hinc spiritus seculi, quod in progressu, ut aiunt, versatur, non amplius patitur ejusmodi institutionem (3). 10^o Quare ut demùm abrogaretur supplices libelli non ita pridem guberniis dati sunt (4) de quorum felici exitu spes non modica affulget. Ergo.

R. Ad 4. D. Cælibes universim sumpti, C.; ecclesiastici, N. Mirum est pseudopoliticis cum Protestantibus in unum inveni cælibatum ecclesiasticum tantquam unicam reipublicæ perniciem, et oculos avertere ab immensâ cælibum turbâ, quæ vera causa existit damni quod reipublica à cælibatu patitur. Viget enim præter ecclesiasticum cælibatum militaris, cælibatus nauticus, cælibatus philosophicus, cælibatus famulitius, cælibatus libertinus cum quibus omnibus si comparentur pauci ecclesiastici qui continentiam profitentur, patebit risu excipiendos esse adversariorum clamores, qui ex sole odio in clerum catholicum, seu potius in religionem catholicam oriuntur. Si tantoperè ipsis cordi est reipublicæ profectus, quare non insurgunt in recensitos cælibatus à quibus innumerorum civium procreatio impeditur, et causa sunt effrenis libidinis et vitiorum colluviei (5)? Quòd si ecclesiastici sub aliquo respectu defraudant civibus reipublicam, abundè compensant hoc detrimentum per conservationem familiarum, ut vidimus, et morum integritatem quam mirificè promovent, quibus fit ut longè major propagatio ex legitimis conjugii habeatur, quàm si connubia frequentiora celebrarentur (6). Quis

(1) Cf. Plutarchum in Lycurgo, opp. t. 4. p. m. 64. Platon., de Legib., lib. 4 et lib. 6; ut testatur Cicero, de Legibus, lib. 3. inter leges duodecim tabul. et hæc reperiebatur: Cælibes. Esse. Prohibito, cujus executio demandata erat adilibus. Plura alia recenset H. G. Heinzeus, Antiq. Rom. jurispr. illustr. Syntagma, 1. 4, tit. 25.

(2) Sic auctor *Recherches philosophiques sur le célibat*.

(3) Ita professores Friburgenses in libello supplicii de quo mox dicemus.

(4) An. 1828, tres dati sunt ejusmodi libelli à professoribus Friburgensibus in Brisgovia, alter magno duci Badensi, alter comitiis magni ducatus, tertius archiepiscopo Friburgensi. In ducatu Hesse-Darmstadt quidam deputatus D. Ernestus Hoffmann., die 15 jun. 1850, obtulit pariter propositionem, seu *motionem* ut vocant, ad abolendam legem cælibatus ecclesiastici. tem, die 17 sept. ejusdem anni plura ibid. diffusa sunt postulata ad eundem finem; demùm in Galliis 1829 et 1850, hæc eadem questio proposita et agitata est in publicis regni comitiis.

(5) Cf. *Dictionnaire abrégé des sciences médicales*, Milan, 1822, vol. 4, 5, art. *Célibat, Continence, Incontinence*, in quibus evidenter ostenditur non ex cælibatu virtutis ac religionis causâ suscepto, sed ex cælibatu involuntario, ex incontinentiâ sive in conjugio sive extra conjugium omnem societatis moralem corruptionem provenire, sobolis procreationem impedire, etc. Nec dissentiunt Mahon, Franck, alique cælibatus ecclesiastici insectatores.

(6) Audiamus auctorem art. *Célibat*, cit. *Diction.*

potrò ignorat rectos mores nervos esse civitatum!

Ad 2. N. Prosunt enim ejusmodi molestiæ et incommoda si quæ sunt, inprimis ipsi cælibi ad coronam; prosunt universo gregi seu populo christiano, dùm ipsi non subtrahitur quod impenderetur familiæ curis ac privatae filiorum et uxoris institutioni et sustentationi; prosunt omnibus veneratione quam sibi conciliant; prosunt orphanis, pauperibus, infirmis; prosunt, ut verbo dicam, societati universæ, quæ tot emolumenta inde derivat, ut ex probationibus constat (1).

Ad 3. D. Qualia adversarii fingunt, C.; vera et realia, N. Exaggerata porrò, imò et chimerica planè esse commoda quæ ex clericorum conjugii provenire adversarii deprædicant, patefaciunt regiones illæ in quibus ecclesiasticorum cælibatus non viget. Presbyteri siquidem conjugati tum apud Græcos schismaticos tum in imperio Russico incredibili ignorantia laborant, in Sacramentis administrandis crimina simoniaca admittunt, rarè admodùm divina celebrant mysteria; ipsorum doli, negligentia, otium, abjectio in causâ sunt cur omnibus in contemptu habeantur, sola politica motiva efficiunt ut tolerantur (2). Apud ipsos Protestantibus longè minoris jam æstimantur mariti ipsorum

« Si ces derniers (cælibataires) cherchent souvent à éluder le vœu de la nature dans l'acte de la reproduction, par suite des circonstances sociales, n'en est-il pas de même chez un grand nombre de gens mariés, dans les classes les plus élevées, et les classes moyennes de la société? La crainte de voir diviser un héritage destiné à soutenir l'orgueil nobiliaire, celle de ne pouvoir subvenir aux besoins d'une famille nombreuse, réduisent considérablement le nombre des naissances dans ces deux classes... Le célibat n'est donc pas l'ennemi des mœurs et de la santé publique. Nous pourrions citer à l'appui de cette opinion des faits nombreux et concluants, si nous allions fouiller dans les turpitudes du cœur humain. » Cf. etiam Berg er, *Dist. de Theolog.*, art. *Célibat*.

(1) Hæc ipsa commoda ex clero catholico cælibe in societatem provenire ultrò lassus est auctor certè in hæc parte minimè suspectus, Filangieri in op.: *La scienza della legislazione*, lib. 2, cap. 8.

(2) A Petro I, cui Magni cognomentum accessit, imperii Russici fundatore magnâ ex parte instauratum est schisma moscoviticum, quod janjam in suum finem vergebat, idque præstitit ex motivo politico, ut idem nempe esset caput civilis et ecclesiastici regiminis, et religiosa institutio politica porsus evaderet. Hoc politicum principium magnâ constantiâ prosecuti sunt subsequentes imperii moderatores, qui interdum vexationibus et omni argumentorum sævitie his præsertim diebus conati sunt, et nituntur contra publica pacta religionem catholicam abolere in regionibus suæ ditioni subjectis. Si artes Juliani apostatae compararentur cum illis quibus illud gubernium vitur ad finem hunc perversum obtinendum, discipuli magistrum superasse viderentur. Duplex semper scopus in dilatatione imperii præ oculis habetur, protensio finium imperii et schismatis, ut sic propriam, quam vocant Ecclesiam, opponant Ecclesiæ Romanæ. Id non obscurè fatetur quem sæpè aliàs citavimus. Filaret, dùm vota emittit ut protendantur imperii fines, et sic schisma protendatur. Ast non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Cæterum hinc fit ut ipsorum *papa*, quos vocant, seu presbyteri uxorati, qui omnibus contemptui sunt ob ignorantiam et ebrietatem cui passim indulgent, et ob simoniam, sustineantur, imò foveantur. Cf. de Maistre *Du Pape*, loc. cit.

ministri quàm apud nos catholici presbyteri (1). In Angliâ verò omnes ferè libri eò spectant ut clerum invisum, et summoperè contemnendum reddant (2); nec religionis Anglicanæ ministris theatrorum licentia parcat; si quis in scenam inducitur veluti stolidus, ebrius, leno, *minister* exhibetur (3). Quæ omnia cum adversariis benè perspecta sint, eò votis omnibus tendunt, ut pari ordine ponant clerum catholicum per cælibatus abrogationem.

Ad 4. D. Si conjugii vi impeccabiles clerici evadeant, C.; secus, N. Nec enim in his quæ ex experimento pendunt debemus poeticam imaginationem sequi, sed res prout in se sunt spectare. Eadem enim in conjugatis clericis cernerentur, quæ in conjugatis laicis contingere solent, qui procul profectò absunt ab illâ sanctitate quam adversarii fingunt, ac præterea illis vitis sordesceret ad quæ inclinant rei domesticæ amplificandæ sollicitudo, ac filiorum sustentatio et futura ipsorum conditio. Certè clerus Anglicanus uxoratus non exhibet totidem Zacharias et Elisabethas, eorumque filii quàm longissimè absunt ab æmulandis et in se referendis virtutibus S. Præcursoris (4). Itaque non conjugium, sed habitus castitatis ab adolescentiâ suscepti remedium incontinentiæ validius suppeditat; ubi enim pudore soluto labem hujusmodi quispiam contraxerit, difficulter admodùm ejus memoriâ ad peccatum non provocatur. Nam quò majora sunt cupiditatis irritamenta, eò magis urit.

Ad 5. D. Eadem ratione quâ noxia fieret quævis ars et disciplina si omnis hominum cœtus ad illam excolendam sese converteret, C.; diversâ ratione, N. Nempe ex hoc argumento, si quid valeret, sequeretur eliminandas è societate litteras esse, repudiandas artes quaslibet seorsim sumptas; quia profectò si omnes studiis vacarent periret commercium, agrorum cultus, omnes fame perirent. Adeò acuti sunt Protestantibus qui politico agunt, dùm non verentur per

(1) Cf. de Maistre, op. et l. cit., ubi plura hujus assertionis documenta profert, atque inter cætera scribit: « L'anathème est inévitable. Tout prêtre marié tombera toujours au-dessous de son caractère. La supériorité incontestable du clergé catholique tient uniquement à la loi du célibat... Qu'est-ce qu'un ministre du culte qui se nomme réformé? C'est un homme habillé de noir, qui monte tous les dimanches en chaire pour y tenir des propos honnêtes. A ce métier tout honnête homme peut réussir... J'ai examiné de très-près cette classe d'hommes; j'ai surtout interrogé sur ces ministres évangéliques l'opinion qui les environne, et cette opinion même s'accorde avec la nôtre, pour ne leur accorder aucune supériorité de caractère. »

(2) Cf. ibid. necnon in op. *The extraordinary Black Book, an exposition of the united church of England and Ireland*. London, 1851, chap. 1.

(3) Cf. A. *Réponse aux nouveaux docteurs*, part. 2, p. 225.

(4) Cf. A *Letter to his royal highness the duke of Gloucester, Chancellor, on the present corrupt state of the University of Cambridge*; by R. M. Reverley, Esq. edit. London, 1855, in quâ auctor ostendit ferè omnes ministros anglicanos studiis vacare in universitatibus, quæ sunt totidem sedes iniquitatis. Vide præsertim, p. 12, 14, 17, 18.

summam impudentiam traducere Christi consilia tantquam furiosi et inepti animi sensa. Nova est adeò hæc difficultas ut eam sibi objecerint et excusserint SS. Hieronymus et Augustinus, postea verò S. Thomas. (1)

Ad 6. D. Græci et Romani proscriperunt et infamiâ ac pœnis mulctarunt cælibatum libertinum et vitiosum, C.; religionis et virtutis causâ susceptum, N. Nos enim contrarium ostendimus, et fatentur ipsi adversarii, qui cælibatus institutionem non ex Christi et Apostoli consiliis, sed ex ideali Indorum, Græcorum, et Romanorum perfectione et mysticismo, qui omnium animos invaserat, atque ex instituto sacerdotum ethnicorum repetere maluerunt (2). Quomodò autem leges plectere potuerunt quod adeò suspiciebatur? Itaque effrenem illorum licentiam objectæ leges feriunt, ex quâ fit ut complures animo ac sensibus vitiatibus ex epicureismo, eam fugiant societatem, quâ, ut loquitur Montesquieu, fierent meliores, ut aliam sequantur, quâ pejores semper evadunt (3). Hunc porrò cælibatum et nos damnamus utpote societatis pestem.

Ad 7. N. Hoc enim putidum mendacium est. Sola Italia, quæ ecclesiasticis viris præ regionibus reliquis abundat, sufficit ad falsitatis arguendam adversariorum assertionem. Hæc enim spectatâ soli aræ superat Sinas ipsas civium seu incolarum numero (4). Quòd

(1) Cf. S. Hier., lib. 1 cont. Jovin., n. 36; S. Augustin., de Bono conjugali cap. 10; S. Th., cont. Gent. lib. 3, cap. 156, ubi hanc ipsam difficultatem his verbis sibi proponit, n. 3: « Si bonum est quòd unus contineat, melius est quòd multi, et optimum quòd omnes. Sed ex hoc sequitur quòd genus humanum deficiat. Non igitur bonum est quòd aliquis homo omnino contineat. » Solvit porrò hæc ratione: « Ab his quæ sunt necessaria, quamvis quantum ad singulos melius sit quòd abstineat, melioribus deditus, non tamen est bonum quòd omnes abstineant, sicut et in ordine universi apparet; quamvis enim substantia spiritalis sit melior quàm corporalis, non tamen esset melius universum in quo essent solum substantiæ spirituales, sed imperfectius, et quamvis sit melius oculus pede in corpore animalis, non tamen esset perfectius animal nisi haberet oculos et pedes. Ita etiam nec multitudo humani generis haberet statum perfectum, nisi essent aliqui intendentes generationis actibus, et aliqui ab his abstinentes, et contemplationi vacantes. » Cf. etiam Feller, *Catéch. Philosoph.*, loco cit.

(2) Uti professores Friburgenses in supplicii libello de quo supra.

(3) *Esprit des lois*, tome 3, livre 25, ch. 2.

(4) Balbi, *Compendio di Geografia*, Torino, 1854, ex tabulis statisticis quas exhibet *Europe*, pag. 854, et *Asia*, pag. 1102, constat Italianam singulis milliariis quadratis continere 225 individua; imperium verò Sinense vix continere 42 individua. Continet Italia vigesimam primam partem incolarum totius Europe; superat Borussiam, quæ non habet nisi 156 individua pro singulis milliariis quadratis. Belgium pariter, quod apprimè catholicum est ac pluribus institutionibus religiosis et viris ecclesiasticis abundat, continet 455 individua pro singulis milliariis quadratis. Et hæc sufficiant ad os obstruendum incredulis ac Protestantibus, qui incusant religionem catholicam, quòd per cælibatum inducat imminutionem incolarum. Cæterum cum hæc difficultas respiciat potissimum Hispanias, qui hæc obtrudunt, perinde ac si ab unicâ cælibatus ecclesiastici causâ illa quæ illic cernitur incolarum in-

esset de ipsâ Ecclesiâ subsistentiâ (1). Si solo ac patriæ per uxorem et filiorum turbam, ut vellent adversarii, addicti essent sacerdotes mariti, deesset jam centrum commune unitatis, ac pro diversitate statuum seu principatum, diversa, imò contrariâ essent ecclesiasticorum sollicitudines, divisi essent ab invicem, uti Protestantés.

Protestantismus cum vitam in semetipso non habeat, adminiculis exterioribus opus habet ut regatur, principibus indiget qui eum fulciant; ac Ecclesia catholica vim ac vitam suam habet ex unitate fidei, capitis ac liturgiæ; habet à Christo fundatore suo, nec opus est ei aliquo exteriori adminiculo vel auxilio, ut vivat, et regatur, ac conservetur. Quinimò vivit ac regitur, frustra in ipsam obstantibus omnibus portis inferi ad ejus destructionem consociatis. Non obstantibus diris vexationibus, novos semper ac illustres filios acquirit, dum Protestantismus potentissimorum regum ac principum protectione tectus quotidie magis tabescit, atque ad terminum suum properat et ad interitum vergit.

Sacerdos catholicus verè universalis est, id est, omnis ætatis, omnisque regionis, ac universæ terræ, dumque majestatem cultûs in metropolitanarum urbium templis expliat, novit pari ratione se conferre ad Peruanos ac Indos, ut eorum necessitatibus spiritalibus ac temporalibus provideat. Quemadmodum verò S. Paulus ab Hierosolymis per circuitum usque ad Illyricum omnia Evangelio replevit, sic S. Franciscus Xaverius ad extremas Orientis plagas se transtulit, uti Occidentales perlustravit S. Vincentius Ferrerius, aliique penè innumeri.

(1) Ipsi Protestantés de hac agendi ratione conqueruntur; en quomodo loquatur unus ex ipsis: « Le Protestantisme n'a pas moins avili la dignité sacerdotale... Les prêtres protestants se sont défaits bien vite de toute apparence religieuse, et se sont tous mis très-humblement aux pieds de l'autorité temporelle... Parce que la vocation des prêtres protestants n'était nullement de gouverner l'État, il n'aurait pas fallu en conclure que c'était à l'État à gouverner l'Église... Les récompenses que l'État accorde aux ecclésiastiques les ont rendus tout à fait séculiers... Avec leurs habits sacerdotaux ils ont dépouillé le caractère spirituel... L'État a fait son métier, et tout le mal doit être mis sur le compte du clergé protestant. Il est devenu frivole... Les prêtres n'ont bientôt plus fait que leur devoir de citoyens... L'État ne les prend plus que pour des officiers de police... Il ne les estime guère, et ne les place que dans la dernière classe de ses officiers... Dès que la religion devient la servante de l'État, il est permis de la regarder dans cet état d'abaissement, comme l'ouvrage des hommes, et même comme une fourberie. C'est de nos jours seulement qu'on a pu voir l'industrie, la diète, la politique, l'économie rurale, et la police entrer dans la chaire... Le prêtre doit croire qu'il remplit sa destinée et tous ses devoirs en faisant lecture en chaire des ordonnances de la police. Il doit dans ses sermons publier des recettes contre les épizooties, montrer la nécessité de la vaccination, et prêcher sur la manière de prolonger la vie humaine. Comment donc s'y prendra-t-il après cela pour détacher les hommes des choses temporelles et périssables, tandis qu'il s'efforce lui-même, avec la sanction du gouvernement, d'attacher les hommes aux galères de la vie? » Ita Martheuque professor Heidelbergensis

Sola religio catholica per potentissimam actionem suam in individua singula, movet, agitat atque excitat ministros suos ad magna quæque, eisque imprimit religionis sigillum. Protestantismus terrenus in omnibus hæsitat incertus inter cælum ac terram, inter Christianismum ac Hellenismum, inter Rationalismum et Pantheismum, humi serpit nec nisi humili et abjecta aut excoGITARE aut moliri valet (1).

Hæc habui, quæ in hanc questionem dissererem, pauca quidem, si rei molem spectes, at si finem quem intuemur, profectò non pauca.

Veritas enim, quæ omni ætate eadem, in apicem prolata, Ecclesiæ praxis vindicata, adversariorum fraudes detectæ, eorum dispendii ratio omni ex parte expensa. Quocirca jure mihi et bonis omnibus gloriantum est, tum quòd eam causam tueamur, quæ criminatibus non obruitur, et calumniis læcessita pulchrior emergit, tum quòd cum eo hominum genere manus conseramus, qui à libidine, non à ratione argumenta mutantur (2).

in op.: *Sur le vrai caractère du Prêtre évangélique*, impress. Hamburgi in Museo patrio Germanorum (trad. de l'allemand). Possem hæc innumeris propè exemplis confirmare, nisi longius quam par sit abducerem.

Nonnulli principes protestantes conati sunt eandem potestatem in clerum catholicum exercere; ast archiepiscopus Coloniensis, arch. Posnaniensis, aliique non pauci ostenderunt aliâ virtute præditos esse sacerdotes catholicos cælibes præ ignavis et captivis Protestantismi ministris, eo ipso quòd solo ac patriæ per uxorem et filios defixi sint.

(1) Cf. Handschue, op. cit., Henricus et Antonius, etc., ubi refellit Bretschneider, necnon ab. Jager: *Sur le célibat ecclésiastique dans les rapports religieux et politiques*, cujus extant plures articuli in eph. *L'Univers*. Rosmini, *Sur le Célibato*, Rovereto 1855.

Cæterum D. Portalis, an. 1807, hæc advertit adversus pseudopolíticos qui promovere vellent conjugium clericorum: *Un prêtre catholique aurait trop de moyens, s'il pouvait se permettre d'arriver au terme de la séduction par un mariage légitime. Sous prétexte de diriger les consciences, il chercherait à gagner et corrompre les cœurs, et à tourner à son profit particulier l'influence que son ministère ne lui donne que pour le bien de la religion.*

(2) Cum sæpius de professoribus Friburgensibus mentionem injecerim, dissimulare postremo loco nequeo scandalum quod non ita pridem Dr. Schreiber in eadem Friburgensi universitate professor theologiæ moralis, ac membrum consilii ecclesiastici, præbuit auditoribus suis. Hic enim posteaquam asseruit infallibilitatem esse præcipuum decus et robur Ecclesiæ tum quoad res fidei, tum quoad res morum, non erubuit sub finem secundi vol. *Theologiæ moralis* affirmare ecclesiasticum cælibatûs præceptum sacerdoti catholico injunctum, esse contra naturam, injustum, immorale et antichristianum. Quâ in re acutus homo non vidit se principium positum hæc disserendi ratione destruere. Enimverò clericis et recens sacerdotio inauguratis talia effutire perinde est ac dicere: *Ecclesia illa cui ut magister et sacerdos peculiari ratione addictus sum, et erga quam in animis vestris amorem excitare deberem, non est vera nec à Christo fundata, utpote quæ errorem et peccatum docet, et lege injustâ et iniquâ filios suos obstringit. In quo ipse non repetit nisi quod novem ant decem abhinc annis docuit Dr. Amann professor et membrum pariter consilii ecclesiastici, qui inter sacri cælibatûs impugnatores non extremum locum obtinet ob historiam cælibatûs à se editam. Quàm benè autem idem professor Schreiber de suis alumnis*

promeruerit, evincitur ex munere argentei cyathi, quo hanc auream doctrinam cohonestarunt ejus auditores. Satiùs profectò foret ut ipse personam depone-

ret, seque apertum hostem Ecclesiæ catholice profiteretur.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Proœmium.

1. Matrimonium ab eo dicitur, inquit Catechismus Romanus, quòd femina idcirco nubere debet, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est (1). Aliis præterea nominibus matrimonium donari consuevit, *comubi* scilicet, *conjugii*, *nuptiarum*, de quibus fusè S. Thomas (2). Definiri autem solet: *Viri et mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas personas individuum vite consuetudinem retinens* (3); quòd si agatur de Matrimonio non solum quatenus officium naturæ est, sed quatenus præterea est Sacramentum, datæ definitioni addi debet: *Et à Christo ad dignitatem Sacramenti elevata*. Ab aliis verò Matrimonium prout Sacramentum est fusius definiri, seu potius describi solet: *Sacramentum novæ legis, quo significatur conjunctio Christi cum Ecclesiâ, et gratia conferatur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam conjunctionem, ad uniendo arctius conjugum animos, atque ad prolem piè sanctèque in virtutis officiis et fide christianâ instituendam.*

2. Ex his autem definitionibus colligitur 1^o naturam, sive rationem aut essentiam matrimonii propriè constitui in vinculo; quod exprimitur per vocem *inter conjunctio*, quæ designat illam obligationem et nexum vi cujus firmitas, permanentia atque stabilitas matrimonii exurgit minimè verò consistere in usu, qui separari potest à dominio, seu potestate quam in proprium corpus conjuges per consensum verbis de præsentem expressum sibi invicem tradunt (4); col-

(1) De Matrim. Sacram. c. 8, n. 2. Hinc apud Gregorium IX, cap. *Ex litteris*, de Conversione infidelium: *Matri*, inquit mulier, *infans ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus: ac ex hoc legitima conjunctio maris et feminae magis MATRIMONIUM, QUAM PATRIMONIUM nuncupatur*. Apud Pileum Decretales Greg. papæ IX, Paris. 1687, t. 2.

(2) In 4. d. 27, q. 1, art. 1.

(3) Hanc definitionem, quæ est Magistri Sententiarum, imò potius Codicis Justiniani, suam fecit Catechismus Rom., l. cit., n. 3, ubi eandem per partes exponit.

(4) Cf. Estium in 4, d. 26, § 13, qui hanc veritatem adversus Wiclefitas aliosque hereticos multiplici argumentorum genere ostendit. Sanè verum existit conjugium inter protoparentes in terrestri paradiso ante quemcumque conjugii usum; id ipsum dicitur de conjugio inter beatam Virginiam et S. Joseph. SS. PP. unanimes in hac sententiâ sunt, et ecclesiastica historia plura suppeditat exempla sanctorum qui perhibentur vero matrimonio conjuncti, quamvis nunquam convenerint; ejusmodi fuit conjugium S. Pulcherie cum Marciano, S. Henrici cum S. Cunegunda. Quòd si nonnulli Patres aut theologi interdum scripserunt usu matrimonium perfici relatè ad perfectam et plenam rationem signi seu Sacramenti, id affirmâ-

ligitur 2^o conjugii christiani proprietates esse unitatem et indissolubilitatem, quæ significantur per subsequentia verba, *inter legitimas personas individuum vite consuetudinem retinens*; seu, ut clariùs dicitur in alterâ definitione, *viri et mulieris legitimam conjunctionem, etc.*; colligitur 3^o nonnullas requiri conditiones sub quibus tantum iniri possunt conjugia, quod innuitur per verba, *legitimas personas, vel per legitimam conjunctionem*. Atque tria hæc præcipua capita sunt circa quæ tota hæc nostra versabitur disputatio, tum scilicet circa Matrimonium in se spectatum et quatenus Sacramentum est, tum circa ipsius proprietates, tum denique circa ipsius impedimenta ac potestatem ea apponendi. His nonnulla adjiciemus circa questionem hæc nostrâ præsertim ætate agitatam de conubiis mixtis vulgò nuncupatis.

CAPUT PRIMUM.

DE MATRIMONIO IN SE SPECTATO.

3. Matrimonium in se spectatum considerari potest vel prout officium naturæ est, vel prout est Sacramentum, seu clariùs, prout officium illud à Christo sanctificatum est, qui ipsum evexit ad dignitatem Sacramenti, eidemque sacramentalem gratiam adjunxit. Dum igitur consideratur quatenus officium naturæ est, disceptari posset utrùm bonum sit ac honestum, quod plures ex veteribus hereticis inficiati sunt. Cum verò jamdiù obsoleverit ejusmodi error, ac nemo sit qui eum denuò excitaverit, ab illis, datâ operâ, refellendis supersedemus. Sanè, quod ex lege naturæ à Deo ipso confirmatâ proficiscitur, illud profectò naturæ ac ratione sui nullum vitium admittit vel turpitudinem, ac proinde bonum est ac honestum. Tale porrò est matrimonium.

4. Natura enim, etiam secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, et ad eum finem sexuum diversitas est ordinata (1); jam verò proles, si cut concepta in lucem edi debet, ita in lucem edita per nutritionem et educationem debet secundum corpus et animam perfici, idque eadem naturâ dictante, quæ non tantum generationem rei, sed et protectionem et perfectionem ejus intendit. Hæc autem necessaria nutritionis et educationis officia certos requirunt parentes, eosque vinculo quodam permanente colligatos; in hoc autem vinculo, ut diximus, matrimonii runt, quatenus scilicet per usum significatur conjunctio realis Christi cum Ecclesiâ per incarnationem, tam etiam quatenus major inde firmitas conjugii exurgit, ut suo loco dicemus.

(1) Cf. Estium, l. c., § 1, et Catech. Roman., part. 2, cap. 8, § 13